

testatur qua scribit (1): «Non est pax impiis dicit Dominus». Secum non habent, quia suis cupiditatibus, quibus inter ipsas magna contentio est, abiectissime serviunt: ab aliis autem dissident, quia in contentionem ob ea quae immodice cupiunt bona, saepe cum illis veniunt: ex quo oriuntur dissensiones, et inimicitiae. Non ergo fruuntur pace nisi qui virtutem colunt: neque colit virtutem quisquam, nisi cui ejus colendae Deus per Christum gratiam atque facultatem contulit. Et ideo vera pax nemini contingit, nisi per Deum patrem, et Dominum Jesum Christum. PER DEUM PATREM. Non sine causa est quod Deum Patrem hoc praecipue appellat loco, hoc est, quod pacem eam illis precatur, quam Deus efficit pater, tacite enim et in hoc suae servit sententiae. Nam si qui gratiam efficit, Pater Deus est, sequitur quae lex, quaeque legis observantia Deum non ut patrem amat, sed ut Dominum metuit atque veneratur, eam gratiae efficientem non esse, qualis Mosayca lex erat, quippe quae spiritum servitutis, ut Paulus ad Romanos scribens loquitur, suis cultoribus, non filiorum conferebat spiritum: sic enim afficiebat eorum animos, ut Deum non tam pro Patre indulgente haberent, quam pro severo et gravi domino: contrahebatque eos metu, et in officio continebat formidine, non amore ad decus accendebat, nec erigebat, aut spe, aut desiderio coelestis haereditatis cernendae, ut se quasi qui coelesti essent sati semine, pro filiis gerere velle animum unquam inducerent. Id enim est proprium Evangelii, de quo vere Paulus (2): «Non accepistis, inquit, spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater». Nam eo accepto spiritu intelligimus, a Deo nos sic effuse diligi, non tantum ut qui unicus ipsi esset longe charissimus filius, eum iterum ex nobis nasci, et pro nobis mori voluerit, sed etiam ut conjecerit nos omnes in ipso, et pene unum effece-

(1) Esa. XLVIII. (2) Rom. VIII.

rit, quod sic ipsius, nostrique una esset, et prope eadem apud ipsum felicitatis conditio, idem genus, idem nomen, eadem filiorum indoles, eadem erga ipsum in nobis observantia atque amor.

Quare et addidit: ET DOMINO JESU CHRISTO, QUI DEDIT SEMETIPSUM PRO PECCATIS NOSTRIS, UT ERIPERET NOS A PRAESENTI SAECULO NEQUAM, SECUNDUM VOLUNTATEM DEI ET PATRIS NOSTRI. Nam omnis Evangelicae legis efficacia a Christi meritorum magnitudine manat. QUI DEDIT, inquit, SEMETIPSUM PRO PECCATIS NOSTRIS. Hoc dicit, primum ut doceat non sine causa authorem gratiae atque pacis Christum nominasse: morte enim ille sua, quam de Patris voluntate pro peccatis subiit nostris, id assequutus est ut posset. Deinde id ponit, ut serviat futurae argumentationi. Nam si lex Mosayca justitiam conferret, nosque a peccatis expiaret, sine causa Christus pro peccatis nostris mortuus esset. Postremo sic scribit, ut admoneat Galatas gratitudinis erga Christum, sicque eos a Iudaismo efficacius abstrahat. Nam in utro quaeso melius et securius quis spem suam collocet, in Moyse, qui legem gravissimis mandatis plenam attulit, an in Christo, qui vitam suam atque sanguinem pro peccatis effudit nostris? aut utrius legis cultu atque victimis verosimilius est homines sanctificari posse, Christi ne, qui seipsum pro nobis, patre volente, et approbante victimam sanctissimam in cruce obtulit, an Mosis, qui pecudum, et animalium jugulationes ad expiationem animorum instituit? QUI DEDIT SEMETIPSUM PRO PECCATIS NOSTRIS. Quam paucis verbis Christi in nos amoris infinitam vim complexus est. DEDIT, inquit, id est, liberaliter donavit, nullo inductus pretio, nulla mercede, quo magis suum erga nos amorem testaretur. Etenim nulla nostra merita fuerunt, quae provocare Christum possent, ut nobis benefacere vellet: contra potius meriti eramus, nos ut prosequeretur odio inexpiabili. DEDIT, inquit, quo intelligas non temere, neque casu ipsum conjecisse se in

vitae discrimen, sed adhibuisse consilium prius, et re diligenter examinata, rationeque reperta quae omnium esset optima, mortem appetivisse. Quod idem Paulus apertius ad Ephesios scribit dicens: «Qui dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis»; tradidit consulto, scilicet, et quasi qui curam adhibuerit, ut quod non posse fieri videbatur, ut Deus mortem obiret, fieret tamen, mortique aditus ad ipsum pateret. QUI DEDIT. At quid dedit? SEMETIPSUM, inquit, uno exhauriens omnia verbo. Non aliquid sui, neque laborum, atque actionum suarum partem aliquam tantum impertitus est nobis: sed semetipsum totum. Non vitam excipio, inquit, non animi dotes divinas, non divinitatem ipsam, universa nobis dedit, quando sua omnia ad nostram salutem retulit. Nostri enim causa et natus est et peregrinatus in hac vita, et exsul ab ipsa factus, et iterum ad eandem redux. Nostri etiam causa coelum ascendit, patrique assiduus astat, pro nobis ipsum saepe interpellans, neque cum se totum nobis dedit, unius atque singularis generis bonum nobis contulit, sed id bonum donavit, in quo universa continentur bona, ut vere idem Paulus collegit, qua scribit (1): «Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?»

Sed addit: PRO PECCATIS NOSTRIS. Nam peccata nostra ipse a nobis in se suscepit, nobisque ipse vicissim seipsum dedit: suscepit illa, ut quas meriti eramus ob ea peccata poenas, ipse subiret: dedit autem semet, non ut ipse caret sese, sed ut nos una secum conjungens, suorum bonorum participes efficeret. Sequitur:

(1) Rom. VIII.

## 2.—Ut eriperet nos a praesenti saeculo nequam.

Divus Thomas hoc ita accipit, quasi eo significet Paulus alium effectum mortis Christi, nullo modo cum superiori conjunctum, id est, cujus peccatorum remissio antea commemorata, causa non fuerit, ut si scripsisset: Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, et praeterea ut eriperet a praesenti saeculo nequam. Et peccata, pro quibus se dedisse Christus dicitur, ea intelligit, quae quis commisit antequam Christo se crederet: saeculum autem praesens et nequam, postea peccandi causas continere arbitratur. Nam Christus sua morte et delet peccata, quae, antequam in ipsum crederemus, admisimus, et praeterea vires addit, quibus deinceps vivere possimus sine crimine. Recte hoc, atque vere. Sed simplicius videtur utrumque conjungere, ita ut in altero alterius causa insit: Paulusque dicat Christum se in mortem dedisse pro peccatis nostris eo fine, ut illis delendis atque expiandis nos eriperet a praesenti saeculo nequam. Nam saeculi vocabulum hoc loco accipi debet, non proprie pro temporis aliquo spatio, sed figurate, et per Metonymiam, aut pro saeculi principe, aut pro iis hominibus, quos filios saeculi sacrae Litterae vocant, aut certe pro eorum hominum vivendi instituto, proque iis legibus, quas ipsis suae cupiditates indicunt: quasque viarum difficultium appellatione Sapiens nominat dicens ex impiorum persona (1): Ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Nam quocumque id modo accipiatur, verissime Christus mortuus esse dicitur propter nostra peccata, id est, eo mortuus, ut morte sua peccatis et peccatorum fomite, et peccandi mala libidine abolitis, quas gravissimo excusso a cervicibus nostris jugo, in libertatem nos assereret a gravissima servitute, primum dia-

(1) Sap. v.

boli: nam fundamentum ejus in nos dominationis, nostra mala libido est; itaque ea sublata illius imperium statim corrumpit. Deinde filiorum hujus saeculi: quia, qui suas cupiditates compressas habet, ei, uti extra omnem fortunae aleam constituto, nemo nocere potest: postremo ab instituto vitae saecularis, atque profanae, quia sola mala libido est, quae nos ei vitae servire cogit. Nam, exempli gratia, qui mulierosus est, quia cupiditati, ut in se dominaretur, permisit curas subire, debet inimicitias suscipere, pericula adire, sumptus immensos necessario facere: similiter, quem cupiditas honorum atque ambitionis inflammat, is ut serviat multis necesse habet. Ergo, qui cupiditatibus vacat, hujus est servitutis expertus, quae certe servitus vitam nobis acerbam reddit: ut cupiditatibus autem vacaremus Christus mortuus dicitur pro peccatis nostris, ut nos eriperet a praesenti saeculo nequam. Nam moriendo, quod ad se attinet, et peccati admissi omnem culpam et peccandi fomenta, atque libidinem universam penitus excidit: eisque excissis a dura servitute saeculi ad veram libertatem nos transtulit. Quod, antequam moreretur se facturum est pollicitus, quando ejus promissi spe nos invitabat, ut se vellemus sequi, sic dicens (1): «Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.» Sed et Paulus, hujus libertatis magnitudinem, et divinas utilitates sic explicat (2): «Nunc vero liberati a peccato, et servi facti justitiae, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam, stipendium enim peccati mors». Nam malae cupiditates in animo dominantes, non solum vitam felicitatis et gratiae illi eripiunt, et in interitum sempiternum praecipitant, sed etiam, dum haec vita manet, multis eum subjiciunt rebus morte peioribus, illum ut curis excarnificent, et angoribus misere conficiant.

Sed addit Paulus tandem et aliam causam, quae Chri-

(1) Matt. xi. (2) Rom. vi.

stum impulit ut mori pro nobis vellet: SECUNDUM, inquit, VOLUNTATEM DEI PATRIS NOSTRI. Id est, Christus passus pro nobis est, quia sic placuit coelesti patri, cui Christus fuit per omnia obediens: ut simul Christi commendetur erga nos charitas, et erga patrem obedientia. Pro quo hominibus impenso beneficio, quoniam illi sempiterna debetur laus, tandem subiecit: CUI EST GLORIA IN SAECULA SAECULORUM. Docens, quando referre Deo parem gratiam non possumus, oportere ut gratias illi semper habeamus. IN SAECULA, inquit, SAECULORUM. Hic quaerit Hieronymus, quid sit saeculum, quid saeculorum saeculum, et utrum aeternitatem significet, an temporis spatium definitum, et si forte modo hoc, modo illud, qua nota dignosci possit utrum significet. Sed quamvis certum sic saeculi vocabulo in sacris Litteris tempus definitum saepe significari, neque semper unum aut idem, quomodo latius alibi diximus; tamen, quantum observare potuimus, saecula saeculorum, semper in aeternitate dicitur. Non enim illi male, qui qua figura Hebraei Cantica Cantorum, aut Sancta Sanctorum solent dicere, qua id significant, quod in suo genere exitium atque praestans est, eadem saecula saeculorum dici arbitrantur, ad significandam longissimam ex omnibus durationem, quae sine dubio est aeternitas. Quamquam etiam possit dicit per  $\epsilon\tau\epsilon\rho\chi\eta\iota$  saecula saeculorum id appellari tempus, quod a finem mundi per aeterna deinceps tempora producet. Nam hoc in quo decurrit vita nostra tempus, saeculum et ipsum est; at illud saeculorum saeculum, quoniam haec vitae spatia atque saecula ad illud omnia referuntur nunquam finiendum saeculum. Quo in saeculo vere Deus gloriosus futurus dicitur; quoniam et omnis, et ab omnibus illi tunc gloria reddetur. Itaque ad hoc saeculum, quod a mortuorum suscitatione decurret, illud psalmi pertinet (1): «Sit gloria Domini in saeculum, laetabitur Domi-

(1) Psal. ciii

nus in omnibus operibus suis». Idem significatur in illo (1): Cum sederit filius hominis in sede majestatis suae: et regnum illud Dei, de quo ut adveniat precamur, in hoc saeculum incidet: ex quo liquet id esse gloriae Dei proprium tempus, et ob id Paulum de Deo recte dicere: CUI EST GLORIA IN SAECULA SAECULORUM. Quasi planius dixisset; Cujus in eo saeculo, quod exactis omnibus hujus vitae saeculis nunquam finiendum succedet, maxime illustris est futura gloria: quem tunc cuncti praedicabunt, qui illo tempore cunctorum ore perpetuo laudabitur. Quod ut doceret fore ratum Paulus, hebraea usus perpetuae veritatis nota inquit: AMEN. Quod alii vere interpretantur, alii pro fideliter accipiunt: Graeci interpretes pro eo γένοιτο ponunt, sed universi consentiunt Hebraeos ea voce uti in eis rebus, quae ita firmatae, ac certae sunt, ut in contrarium verti nullo modo possint, et cum Amen dicunt, non solum significare optare se ut id, quo de agunt, certum sit, sed persuasos se sine ulla dubitatione esse id omnino futurum. Atque hic Paulus salutationem finit.

Sed antequam ab hoc discedamus loco non ab re fuerit cognoscere Lutherum, atque alios nostrae aetatis haereticos ex hoc Pauli loco rejicere solitos ea opera, quibus pro poena, quae peccatis semel remissis luenda relinquatur, satis Deo facimus, veteri probatoque more, quod dicant nihil, quod ulla postea satisfactione sit eluendum, in iis hominibus relinqui, qui meritorum Christi semel participes sunt effecti; quando Christus, ut Paulus hic dicit, dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos a praesenti saeculo nequam. Aut enim, inquit, dicendum est, Christi meritum imbecillum, et inefficax esse, aut si est, ut certe est, summe efficax proculdubio fatendum eo universa nostra peccata omnino deleta esse, et ex eo fieri necessarium non esse, ut ad ejus merita nostras ipsi satisfactiones ad-

(1) Matt. xix

damus. Sed primo, male id certe colligunt ex hoc Pauli loco, cum aperte dicat Apostolus Christum se dedisse pro nostris peccatis secundum voluntatem Dei et Patris nostri: et ex eodem Paulo alibi constet, Deum id velle, ut ipsi in nobismet sancti simus (1). «Haec est, inquit, voluntas Dei sanctificatio vestra». Ex quo colligitur voluntatis divinae esse, eatenus ut nobis infundatur Christi satisfactio, atque meritum, quatenus bene ipsi eodem adjuvante operando habiles effimur, quibus infundi possit, ut diserte idem Paulus scribit (2): «Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis futuri sumus». Et alio in loco (3): «Si tamen compatimur, ut glorificemur». Nam si quae admisimus scelera, ea ociosis nobis et nihil agentibus, propter Christi meritum remitterentur, non ille quidem nos sanctos efficeret, sed nobis impune pravis esse concederet. Itaque hoc perperam colligunt, estque ipsum per se falsum, esseque demonstrat illustre illud Davidis exemplum, qui quamvis Dei oraculo didicisset sibi remissum esse peccatum suum, adhibuisse tamen preces atque lacrymas dicit, Deique misericordiam, sibi ut id amplius remitteretur, studiose implorasse, ut et psalmo quinquagesimo liquet (4).

Sed ut ista res magis explanetur, debet adverti, ex ignorance ejus rationis, qua Christi in justis est, et justis in Christo esse censent, et haereticos lapsos esse, e nostris nonnullos in varias opiniones divisos. Nam ea si cognosceretur ratio, neque haeretici interioris justitiae ornamenta animis justorum inesse, aut eorum esse aliqua apud Deum bona merita, aliquasque pro peccatis satisfactiones inficiati essent, neque e nostris aliqui tam fuissent pertinaces in negando, aut homines Christi justitia justos effici, aut hominibus justis Christi bona merita toties addi, propriaque fieri, quoties ipsi bene, et honeste operantur. Non enim pugnant inter se, sed potius mire consentiunt ista. Primum

(1) 1 Thes. iv. (2) Rom. vi. (3) Rom. viii. (4) Psal. l.  
Tom. III 13

una Christi satisfactione, atque merito omne meritum atque satisfactionem contineri, ab eoque pro omnium peccatis plenissime satisfactum esse: et rursus, illis, qui ad justitiam transferuntur, saepius hactenus peccatum dimitti, ut necesse habeant poenarum aliquid sustinere: verique ipsos et satisfacere et mereri dici. Deinde homines justos tales fieri, quod aliquando affecti sint eadem ipsa, qua Christus justitia: et rursus eosdem, cum justii fiunt in animo suo haerentem habere gratiae coeleste donum, a Christi spiritu, qui in eorum inest animis, tanquam splendorem e sole ortum, et per animum late diffusum. Postremo justos a primo totam Christi justitiam pro sua habuisse: et rursus ejus justitiae, atque meritorum quotidie magis participes esse posse. Est enim, quo ista intelligantur, ea adhibenda distinctio, quae, quod *διηγάμει* tale esse dicitur, ab eo quod re ipsa, et actu tale est, distingui solet. Nam sciendum est Christum in illa nocte, quae proxime praecessit eam diem, quam is vixit mortalis inter mortales ultimam, quando coenans cum discipulis suis, panemque et vini poculum accipiens, ea in suum corpus, atque sanguinem vi verborum convertit, in id corpus suum convertisse illa, quod integre corpus ipsius est, id est, quod ex ipso tanquam capite, et nobis membris ejus corporis constat. Itaque sub illis panis, ac vini speciebus, panis atque vini substantia vi summa Dei in id corpus conversis: et corpus id Christi, quod proprie Christi corpus est, vere fuit, et item universa, ad quae ejus corporis vis pervenire potest, membra fuerunt: illud corpus re ipsa: haec autem membra spirituali quodammodo, quo certe modo, et illius corporis membra esse censentur. Quo constituto illud item oportet adjicere, ex eo postea factum esse, ut illum Christus panem edens, illudque poculum hauriens, omnes nos, qui in illo ineramus pane, atque poculo, in suum ipse corpus trajecerit, ac secum universos miro modo conjunxerit: neque solum nostram ipse personam subierit, sed nosmet

in se incluserit: ex eoque jam non unus aliquis, privatus, et singularis homo fuerit, sed quasi, qui universos intra se inclusos teneret, cunctorum factus seminarium, communis omnium coeperit esse pater. Atque huic rei fuisse consequens, ut cum postera die in crucem actus ille fuit; et cum ejus diei vespere fuit sepulturae traditus, et cum postea die ab eo die tertio oriri incipiente vitae fuit restitutus, simul nos, quos ille omnes intra se continebat, una cum illo, et eadem qua ille, affecti fuerimus tum morte, tum vita. Quae res a nobis in eo libro, quem inscripsimus de triplici conjunctione fidelium cum Christo, quemque Deo annuente propediem edituri sumus, copiose explanatur. Ergo illa morte a nobis in Christo obita, omnis est in universum deleta culpa atque poena: et similiter illa adeptam vitam, omnis est comparata justitia atque gloria. Sed in origine tantum comparata, atque *κατα την διηγάμειν* (nam et nos Christus *διηγάμει* continebat in se, melioris nostrae originis futurus parens) nondum autem re, a nobis adeptam illam fuerunt, aut in nobismetipsis perfecta: quod extare illa et perfici in nobis, nisi re ipsa ex illo oriremur prius non poterant. Nam cujusque rei substantia fundamentum est caeterarum, quae illi insunt rerum: non enim, qui nulli in se sunt, salvi in se, aut justii esse possunt. Quamobrem, ut in nobismetipsis esse incipiamus, qui in illo, in cujus virtute continebamur, aliquando facti sumus, necesse est ut ipsi ex illo tanquam egressi, et in hanc lucem editi vivere ex illo incipiamus in nobismetipsis. Quod certe ortu quodam et nativitate coelesti fieri debet, ut pro eo quantum ex Christo esse atque vivere in nobis incoepimus, tantum ex eo bono, quod in Christo dum eramus, assequuti sumus, ad nosmet transferamus, atque derivemus, sitque hujus derivationis, et traductionis non solum a primo effectrix, sed etiam in tota vita mater ipsa nativitas. Cujus rei clarissimum in priori Adam extat exemplum, quod nos exemplum late exequuti sumus in eo quem diximus libro. Id igitur mysterium ignorantes

haeretici, quia in sacris scriptoribus, quibus tota ista ratio, non solum erat cognita, sed et ante oculos quoties ad scribendum se conferebant, posita, saepe vident Christum nostram esse justitiam dici, et eundem se dedisse pro nobis scribi, ut nos ab omni iniquitate redimeret, in illo mortuos nos peccato esse, in illo similiter omnem vitam nostram latere, et ejusmodi plura, omnem salutis nostrae rationem in Christo ita esse perfectam censent: sic ad illum omnem justitiae rationem referunt, sicque in ipso includunt atque obserant, ut quod in nobismetipsis insit, atque haereat, nullum ejus salutis, atque justitiae velint apparere vestigium, nihil quod nos interius justificet, nihil quod a nobis quamvis justis editum, vel ad penitus abstergendam culpam, vel ad justitiam alendam et augendam pertineat. In quo multum falluntur. Nam et illa, et ejusmodi alia omnia quae in sacris traduntur Litteris, accipienda sunt dici de illa peccati morte, quam sustinuimus in Christo inclusi, et una in crucem acti cum ipso: et similiter ad eam ipsa eadem referenda sunt vitam justitiae, ad quam simul cum Christo revocati sumus, quando ille restitutus est vitae. Vere enim, tunc justus effecti sumus ipsamet justitia, qua Christus justus est, utpote qui ipsius morte mortui, ejusdemque nova vita vivi fuerimus effecti. Sed mortui et vivi effecti, non ipsi plane in nobismet (qui enim possemus, qui tunc nulli essemus?), sed, ut in Christo continebamur inclusi, vivi effecti sumus, id est, in nostris tamquam seminibus et in nostri origine, et in eo, in quo vi ineramus, universa illa perfecta sunt. Ex quo, non solum non sequitur, nos nihil indigere interiore justitia, itaque illa vacuos de Christo nasci, sed contra potius necessario colligitur, quia in semine, et in nostri origine affecti sumus ipsa Christi justitia, cum deinceps et Christo nascimur, re in nobismetipsis ejus justitiae exemplum atque vim haerere debere: quo enim baccharum semina aut colore quis, aut sapore infecerit, eundem certe referant in se saporem, atque colo-

rem, postea bacchae e seminibus natae: ob eam enim causam illa bona indita sunt, atque impressa in origine nostra, ut eis similia postea in nobis ipsis haerent et extarent: extarent autem proportionem nostrae nativitatis ex Christo. Nam quoniam traduci ad nos, atque derivari bona illa, nostris, uti diximus, impressa seminibus nisi nascamur e Christo non possunt, nascimur porro ex illo per fidem, et per charitatis inductionem in ipsum, et per imitationem, et similitudinem morum, ita ut, et alius alio uberius nascatur, et idem alias alio, atque uberiore modo natus censeatur e Christo, ideo fit, ut quo quis uberius ex illo natus est, id est, quo fide et charitate amplius in ipsum fertur, quoque eundem morum honestate magis imitatur, eo magis ad se derivet suae origini bona indita: magisque quod inolitum ipsi est, dum latebat in Christo, id in eodem ipso jam de Christo nato et in lucem edito appareat, et splendet, e quibus sequitur vera esse, vereque affirmari haec universa. Primum ipsamet justitia qua Christus justus est nos imbutos fuisse olim in ipso, quia inclusi in illo, eadem quae ipse vel fecit, vel passus est, et fecimus ipsi, et passi sumus: eodemque affecti quo ille modo, et eisdem rebus. Deinde. Nos in nobismetipsis habere haerentem justitiam, quia orti e Christo et in lucem educti, eo affecti modo nascamur oportet, quomodo infecta fuerunt nostri in ipso semina. Praeterea omni nos exsolutos fuisse per mortem Christi peccati culpa atque poena, sed exsolutos quatenus continebamur in Christo, quia quam Christus mortem obiit, eadem a nobis est obita mors. Postremo opera honesta, quae ipsi ex Dei inductu facimus, non solum illa quibus ad nascendum in Christo disponimur, sed et ea quibus jam ex Christo nati legibus ab ipso latis paremus, ampliusque quotidie ex illo nascimur, fructuosa esse et utilia non tantum ad justitiam de principio in nobis gignendam, sed etiam ad augendam genitam, et ad peccati reliquias penitus eluendas: quia quod in origine nostra gestum est, ex-